



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

Vt similiter contra occupantes & arrestantes Bona Ecclesiarum procedatur.

12

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

*Pœna  
Laici, tra-  
henti Cleri-  
cum  
ad forum  
seculare.*

(quam ferimus in his scriptis) firmiter prohibemus: statuentes, ut, si Laicus Clericum vel Religiosum ad Forum traxerit seculare, idem Laicus omnino cadat à causa; & nihilominus per Ordinarium ipsius excommunicatus denunciatur publice usque ad satisfactionem condignam.

Præterea Iudex secularis & Scabini loci, in quo contingit hoc, per Ordinarium ipsius loci moneantur, ut de tali se causa nullatenus intromittant; penitus desistendo & revocando intra triduum, si in aliquo, occasione huiusmodi, in præiudicium ipsius Clerici, vel Religiosi est processum. Alioqui ipsi Iudices & Scabini per eundem Ordinarium sine dilatione qualibet excommunicentur, & excommunicati publice usque ad satisfactionem condignam nunciatur. In qua excommunicatione si per quindenam perduraverint, locus ille sit ex tunc Ecclesiastico suppositus interdicto: quod non relaxetur, nisi prius sufficienter sit satisfactum passo injuriam, ac Nobis, & Ecclesiæ. Et iudicatum, si quod contra ipsum Clericum & Religiosum est factum, & si quid aliud subsecutum est, sit penitus revocatum.

*X. Contra Clericos, qui personas Ecclesiasticas, ratione Bonorum suorum, vocant ad iudicium seculare.*

*Pœna  
Clerici.*

SI vero Clericus Clericum in foro seculari, suo vel Ecclesiæ vel alterius cuiuscunque nomine, in causam traxerit, causam amittat. Et, si monitus ab Ordinario, in continenti non desiterit, ac intra septem dies non satisfecerit in causam tracto, Nobis, & Ecclesiæ competenter; ab Officio vel Beneficio sit suspensus ipso facto, donec satisfecerit competenter. Et, si, in suspensione huiusmodi durante, se ingesserit Beneficio vel Officio, ab eodem Ordinario excommunicetur, & excommunicatus publice nunciatur. Et, si in huiusmodi contumacia & excommunicatione per tres septimanas permanserit, ex tunc Beneficio, si quod habet, cum cura vel sine cura, ipso facto sit privatus, & ad idem Beneficium nihilominus inhabilis ad rehabendum existat; si vero Beneficium aliquod non habuerit, sit inhabilis ad habendum. Contra Iudicem vero & Scabinos, qui se de huiusmodi iudicio vel causa intromiserint, procedatur, sicut superius in proximo Capitulo est expressum.

*XI. Contra eos, qui Clericos, occasione quacunque, ad forum seculare traxerint.*

Item damnamus & sub interminatione Anathematis prohibemus detestabile statutum, immo errorem, à quibusdam Laicis contra libertatem Ecclesiasticam introductum; videlicet ut, si Laicus causam habet contra

Clericum, vel Ecclesiam Conventualem seu Monasterium, seu quancunque aliam domum Religiosam, idemque Clericus vel Ecclesia possessiones vel alia Bona habet in districtu Iudicis secularis, Laicus ipse vel Iudex compellit Clericum vel Ecclesiam coram seculari Iudicio litigare ratione possessionum vel Bonorum eorundem; & ipse Iudex secularis diem assignat Clerico vel Ecclesiæ ad litigandum coram eo; ad quem si non venerit, sicut nec tenetur, vel, veniens, coram eo noluerit litigare, bonis suis privat eundem, plurimas alias abusiones in his & consimilibus committendo: Statuimus, in hoc casu idem tam contra actorem, quam iudicem & Scabinos, observari, quod diximus de Clerico Clericum trahente ad iudicium seculare. & iudicibus ipsis & Scabinis, huiusmodi factum non revocantibus, & aliis non satisfaciendis competenter intra biduum post monitionem ab Ordinario faciendam; locus, ubi hoc contingit, Ecclesiastico sit suppositus Interdicto. Quo durante per Quindenam, Superior sive Dominus illius Iudicis & Scabinorum, moneatur per Ordinarium, ut tale forefactum procuret revocari, & faciat intra septem dies post ipsam monitionem emendari. Alioqui contra ipsum Superiorem sive Dominum procedatur, prout in statuto contra injectores manuum in Clericos, de Nobilibus & Dominis est expressum.

*XII. Ut similiter contra occupantes & arrestantes Bona Ecclesiarum procedatur.*

ET eodem modo, statuimus, contra occupantes seu seculari iudicio arrestantes Bona Ecclesiarum vel Ecclesiasticarum personarum sive Religiosarum, procedi, & idem observari.

*In statut.  
Henrici,  
statu. 14.  
Arrestare,  
sonat quibusdam,  
quasi ar-  
repto sine  
sine fa-  
cere.*

*XIII. Ut Iudices Ecclesiastici & Prælati Ecclesiarum, Laicis, contra Clericos causam habentibus, Iustitiam faciant expeditam.*

NE vero Laici occasionem habeant de defectu Iustitiæ contra Clericos querulandi; statuimus, sub poena Excommunicationis firmiter præcipientes, ut Prælati seu Ordinarii Clericorum & Ecclesiarum, Laicis, contra ipsos Clericos vel Ecclesias causam habentibus, faciant (cum requisiti fuerint) secundum consuetudinem Capitulorum, si fuerit in Ecclesia Collegiata; & aliis de Clericis non existentibus de Collegio, secundum Ius scriptum vel consuetudinarium, Iustitiam expeditam.

*XIV. Contra impedientes & turbantes celebrationes sanctarum Synodorum.*

Statuimus etiam, ut Prælati & Ordinarii Iudices Nostræ Civitatis & Diocesis, in